



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VIII. Alterna fortuna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

TIO BONA VOLUNTAS

VIII.
*Alterna
fortuna.*

An ergo tu calamitosos meliorem fortunam desiderare ac postulare vetueris, si tantum ex malis bonorum est? Non equidem id velim. Imò eos damno, quibus infortunia animos dejiciunt, & omnem de melioribus cogitationem præfocant: homines modicæ fidei, ignarique alternarum viarum, per quas sapientia divina suos ad alta virtutum solet perducere. Non nesciebat Sara Raguelis filia, cum Tobia cap. 3. supplicabunda Deo diceret: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Experta erat Anna Samuëlis mater I. Regum 2. quando concinuit Dominum mortificare primùm, dein vivificare. Origenes homilia 1. in illud Jeremiæ c. 1. *Constitui te, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes: Observavimus, inquit, in Scripturis sacris, semper ea quæ videntur tristia antè nominari, deinde quæ letiora.* Idem notat Basilius in illud Psalmi 29. *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* Ubi primùm iram au-

dis,

dis, tum vitam: primū indignationem, dein voluntatem, id est benignum ac proum benefici Numinis affectum.

IX. *Recurrendum ad Deum.* Itaque iram Dei sentis? Clementiam expecta & vitam. In bello es? Cogita morem Providentiæ divinæ, & ad pacem aspira. Humiliaris? Cogita exaltationem. Ægrotas? Spera sanitatem: *Spera in eo, & ipse faciet:* & tum quidem maximè faciet, cum minimè fieri posse videbitur; ut nunquam magis quàm rebus desperatis sperandū sit, quod alibi ostendimus. Non audis ipsummet invitantem Psalmo 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Nescis quod Chrysostomus ait in hunc versum Psalmi 114. *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi?* Quemadmodum mater infantulum, longius recedentem, exterret, aut exterrendum curat, ut revocet: ita Deum calamitate utri, ad vocandos in sinum suum homines, alioquin ad rerum inanum ludibria pueriliter sectanda aberraturos. Non meministi Ezechix lib. Reg. 4. cap. 18.